

sensus sub una litera, scilicet literalis, quo voces significant res, et spiritualis quo res significatae per voces iterum res alias significant, quem sensum deinde trifariam dividit iuxta morem: non est igitur quaestio de pluribus sensibus *literalibus* in eodem loco Scripturae. Attamen, quantumvis solida haec argumenta videantur, negari non potest de multiplici sensu literali in una eademque Scripturae sententia loqui S. Thomam non quidem in toto articulo, et quasi ex professo, sed tamen incidenter in fine corporis articuli in verbis ab adversariis obiectis. Sane licet haec verba difficultatem ingerant, et fere contradictionem inducere videantur in totum contextum articuli, non possunt tamen aliter intelligi. Nam imprimis haec verba ponuntur post traditam divisionem inter sensum literalem et spirituales; quare necessario accipiendi sunt pro *subdivisione*, uti aiunt, unius ex illis sensibus, idest literalis, praesertim cum apponatur particula *etiam*, quae hunc sensum omnino efficit: Sacra Scriptura plures quandoque sensus habet non solum secundum generalem acceptionem sensus, sed *etiam* in specie *secundum literalem sensum*. Accedit etiam auctoritatem Augustini a Thoma invocata evidentem ostendere hic de eius peculiari opinione mentionem fieri circa multipliciter literalis sensus: quod enim Scriptura plures habeat sensus, literalem scilicet, et mysticos non Augustinus tantum, sed omnes uno ore fatentur. Non est denique omittenda conclusio huius articuli quae in pluribus Summae editionibus legitur atque ita se habet: « Conclusio — Cum Sacrae Scripturae aactor Deus sit qui omnia simul suo intellectu comprehendit ea ipsa doctrina sub una litera plures sensus habet, *literalem multiplicem*, spirituales triplicem, videlicet allegoricum, moralem et anagogicum. » Quid ergo respondebimus ad auctoritatem Angelici Doctoris? Idipsum quod ad auctoritatem Augustini respondimus, scilicet S. Thomam nihil de hac re definire voluisse, nec omnino affirmasse multiplicem esse aliquando Scripturae sensum literalem: siquidem, velint nolint contrariae sententiae patrum, nihil aliud dicit S. Doctor nisi hoc: *non est inconveniens*, et etiam hoc aliquatenus temperat addens: *ut dicit Augustinus*, quasi nempe id proferat non ex propria sententia, sed quasi per concessionem, et ut Augustino morem gerat. Hinc etiam est quod neque antea in toto corpore articuli, neque postea in responsione

ad obiectiones in praefata opinione insistat, nec ullam amplius de ea mentionem faciat; quinimo in responsione ad 1^{am} ut supra vidimus quasi oblitus verborum quae antea protulerat, aut potius suam sententiam nunc libere proferens expresse affirmat *unum* esse *sensum literalem*, et pluralitatem sensuum literalium aequivocationem inducere, quae in Scriptura admittenda non est. Denique omitti non debet argumentum quod ex facto ipso et agendi ratione S. Thomae desumitur, ut recte observat Estius in Orat. Theol. XIX iniquiens: « Et vero Thomas nusquam in commentariis, quos multos edidit, uni Scripturae loco plures assignat sensus literales; quod utique fecisset alicubi, si fixa fuisset ei sententia sub una litera plures subinde sensus occultari. » Quare, ut concludamus, fautores multiplicis literalis sensus nullos alios proferre possunt sententiae suae auctores ex Ecclesiae Doctoribus nisi Augustinum et Thomam; qui tamen et ipsi ita modeste et dubitantium more eam proponunt, ut nullum ex eorum auctoritate certum argumentum confici possit.

Commentatores S. Thomae nec ipsi inter se conveniunt in sententia S. Doctoris explicanda, aut in ea sequenda (1) quamvis fatendum sit plerosque in sententiam affirmativam concessisse, et hanc praecipuam fuisse causam cur antiquiores theologi magno numero starent pro multipliciter literalis sensus in Scripturis: sed, ut vidimus, nunquam defuerunt qui contrariam sententiam defenderent, quae apud recentiores, re maturius perpensa, communis evasit.

CAPUT III.

DE MYSTICO SACRARUM SCRIPTURARUM SENSU

Recolenda hic sunt quae superius diximus de notione sensus mystici eiusque divisionibus. Nunc autem nonnullae quaestiones circa hunc Scripturae sensum, seu circa eius existentiam, et exten-

(1) P. Patritius adducit testimonium Sylvestri de Prierio in *Rosa Aurea* Tract. I. Cap. 6 haec de nostra quaestione scribentis: « De hoc enim viri magis nonnunquam dissentiunt. Et omissis aliis, etiam eorum qui sequuntur doctrinam S. Thomae quidam tenent partem affirmativam, quidam vero negativam; et secundam tenentes partem moventur ex verbis eiusdem S. Thomae. »

sionem proponendae sunt, quemadmodum superius factum est circa sensum literalem. Ut autem haec clarius intelligantur nonnulla historice praemitimus de variis opinionibus quae circa mysticum sensum prolatae fuerunt ab auctoribus sive orthodoxis sive heterodoxis.

Et primo quidem discernenda est quaestio de Libris V. T. a quaestione de Libris N. T. De his enim libere in scholis etiam Catholicorum disputatur, utrum sensum mysticum contineant: de qua re breviter in fine huius capitis dicemus. De V. T. Libris autem constans semper fuit cum Iudaeorum tum Christianorum sententia eos praeter sensum literalem etiam mysticum multis in locis habere. Nec alia fuit veterum Protestantium opinio usque ad Michaelis qui *typologiam* S. Scripturae strenue defendit post medium saec. XVIII. Verum post hanc epocham substantialis variatio apud Protestantes effecta est: postquam enim Io. W. Rau contra Michaelis *typologiam* opus conscripsit (Erlangae 1874) ingens Protestantium numerus, ac imprimis illi omnes qui novis rationalismi biblici principiis subscripserunt, antiqua sententia dimissa, omnem prorsus reiecerunt mysticum sensum, aut saltem illum qui allegorico-propheticus, vel stricte *typicus* dicitur, eo dumtaxat admissio qui in moralibus locis extat, vel etiam in iis locis, in quibus symbolicae quaedam prophetarum actiones narrantur, quae mysticam significationem evidenter continent, ab ipsis prophetis plerumque apertis verbis declaratae. Inter istos eminet G. L. Bauer in sua *Hermeneutica Sacra* Part. 1 Sect. I.

Apud Catholicos autem res hucusque nunquam progressa est, seu nunquam prorsus negata est existentia mystici sensus in libris V. T. Nihilominus tamen plures in hac re diversae opiniones, quod pertinet ad extensionem et limites illius sensus, hinc inde propositae, atque discussae fuerunt, quarum aliae, ut fieri solet, exaggeratae sunt, aliae per defectum peccant. Sane elapso saeculo in Gallia plures Scriptores in ea sententia fuisse videntur ut crederent sensum mysticum in omnibus vel fere omnibus locis S. Scripturae latere, qui ideo appellati sunt *Figuristae*. Inter istos eminent Duguet et D'Asfeld duo auctores opusculi cui titulus: *Regles pour l'intelligence de l'Écriture Sainte* (1). Cum autem isti

(1) Huius operis italica versio apparuit Patavii 1768 sub titulo: *Regole per intendere la santa Scrittura di G. C. Duguet tirate dal Francese.*

ultra iustos limites extenderent mysticam interpretationem alii ex adverso in arenam descenderunt qui ut illorum excessibus se opponerent in contrarium extremum, ut pronum erat, concesserunt nimis angustos limites praefinientes mysticis Scripturae sensibus: qui proinde *Antifiguristae* dicti sunt: horum agmen ducebat Ab. Leonard in opere: *Refutation des règles pour l'intelligence de l'Écriture Sainte d'après la doctrine des Pères*, cui accessit Fourmont senior in Regularum refutatione edita sub ficto nomine Rabbi Ismael ben Abraham. Horum sententia est mysticum sensum non esse extendendum ultra loca V. T., quae ab ipsis hagiographis praesertim N. T. mystice explicata fuerunt.

Io. Iahnus ulterius progressus est, et mysticum sensum vix non sustulit de medio in suo *Enchiridio hermeneuticae generalis* §. 15. Postquam enim dixisset se non mediocriter moveri auctoritate et rationibus recentiorum auctorum qui omnem mysticum sensum de Scripturis eliminarunt, sententiam suam ita proponit ut typos quidem historicos et morales admittat, nec non simpliciter propheticos clare et evidenter ab hagiographis explicatos, quod vero spectat ad typos propheticos-allegoricos concedat quidem omnem illum *Mosaicum apparatus* portendisse aliquid futurum simile in N. T., verum si quaeratur an aliquae res individuae fuerint aliarum rerum typos in N. T. futurarum (in quo proprie versatur tota quaestio) ait: *id esse altioris indagationis, cui hic locus non est*; lectores autem (in nota) remittit ad suam *Archaeologiam biblicam* §§. 18 et 105: qua in re videtur lectoribus illudere voluisse; cum enim citatos locos adierit iterum invenies quaestionem esse altioris indagationis, ab eaque abstinendum. Iahnium sequitur more suo Ariegler.

In tanta errorum et opinionum varietate ut recta via incedamus tractionem dividemus in tres partes, seu tres distinctas quaestiones: 1^a de existentia sensus mystici praesertim allegorici in V. T. 2^a de limitibus seu extensione sensus mystici in V. T., et de criteriis ad illum detegendum et probandum. 3^a De sensu mystico librorum N. T.

Quaestio 1^a instituitur adversus Bauer aliosque rationalistas qui passim omnem sensum mysticum saltem propheticum et ad Chri-

stum eiusque Ecclesiam spectantem eliminare student, eumque inter somnia catholicorum interpretum amandant, contra quos constituitur sequens

THESIS III.

In libris V. T. praeter sensum literalem, etiam sensus mysticus, et quidem propheticus-allegoricus, seu res ac personas in N. T. futuras respiciens, omnino admittendus est, aequae ac literalis a Spiritu Sancto intentus.

Praenotanda. 1° Quaestionem praecipue instituitur, ut in Thesi notavimus, de sensu mystico allegorico; in hoc enim tota fere controversia cum Protestantibus, et aliquatenus etiam cum Iahnio eiusque sectatoribus, versatur: mystici enim sensus commemorativi, seu morales facile ab adversariis admittuntur, nec omnino possunt negari, cum plerumque ab ipsis hagiographis aperte declarentur ut ex. gr. Moyses Lev. XXVI, 44 et Deut. X. 16, XXX, 6 satis abunde exponit circumcisionem carnalem spiritualis signum fuisse; item Ex. XII expresse docet ritum Agni Paschalis institutum fuisse in memoriam accepti a Deo beneficii cum scilicet primogeniti Hebraeorum in Aegypto ab universali caede ineluctabiles evaserunt. Idem valet etiam de sensu mystico, quem simpliciter propheticum appellari diximus, quo scilicet praedicuntur res futurae in ipso V. T.: hic enim sensus, qui plerumque subest symbolicis nonnullis prophetarum actionibus, ab iisdem prophetis fere semper apertis verbis postea declaratur; ita ex. gr. fit de symbolica actione Oseae Os. I. 23 coll. 4-11, item de facto Ahiae Sionitis cum Ieroboamo 3 Reg. XI, 29-32, de singularibus actionibus Ezechielis XII, 3-7 coll. 10-17, Ieremiae XXVII, 2, 3, Isaias XIII, 4-11 aliisque similibus quae in libris Prophetarum passim occurrunt. Haec autem sufficiat indicare ut deinceps demonstrationem nostram ad sensum propheticum-allegoricum coarctare liceat. Addidimus in Thesi verba: *aequae ac literalis a Spiritu Sancto intentus*: ad hoc enim tota quaestio revocatur utrum sensus de quo loquitur sit vere sensus S. Scripturae, seu proprie mens auctoris; quod enim praeter auctoris mentem, et per quamdam accommodationem Scri-

ptura possit ita exponi, nemo unquam negavit. Diximus autem: *a Spiritu Sancto* potius quam *ab hagiographis*, quia necesse non est ut auctores secundarii S. Scripturae semper intellexerint mysticas significationes rerum, de quibus scribebant; sed sufficit ut a primario auctore, seu Spiritu Sancto, intellectae fuerint, ut dici possint Scripturae sensus. 2° Notandum etiam est hic quaestionem non fieri de mystici sensus sive *possibilitate*, sive *convenientia*, quamvis utraque a nonnullis impugnata fuerit. Quod enim possibile sit sensus mystico-allegoricus, nemo negare potest nisi qui negaverit Deum esse Scripturae auctorem simulque rerum omnium, et maxime quae ad religionem pertinent auctorem et ordinatorem. Hoc enim admissio necessario consequitur quasdam res vel personas *potuisse* a Deo assumi ad res vel personas in N. T. futuras praefigurandas. Nec unquam demonstrabunt adversarii id *inconveniens* fuisse; imo vero, re mature considerata, maxima eius apparet convenientia, et quidem tum ex parte Iudaeorum, quibus immediate libri V. T. traditi fuerunt, tum etiam ex parte nostra, qui eosdem libros eramus aliquando lecturi. Iudaeis enim opportunum inde parabatur medium ad Christum, eiusque ecclesiam facilius suscipiendam, cum nempe viderent nihil fere in ea constitutum esse quod non fuisset adumbratum in Mosaica lege, eiusque ritibus quibus assueti erant, aut in eorum historia, qua maxime gloriabantur: quo sensu pulchre dixerunt Patres legem Mosaicam fuisse paedagogum quae ad Christum ducebat. Nobis autem Christianis maxima inde provenit utilitas, tum quia ex figuris, ac typis, qui praecesserunt argumentum ducimus ad convincendos Iudaeos aliosque Christianae religionis hostes, de eiusdem religionis divina origine, tum quia ipsi in fide roboramur, ac proficimus contemplantes sublime hoc spectaculum totius historiae ac Legis antiquae adumbrantis ac veluti in imagine representantis Legem novam, quo simul utriusque Testamenti ac Legis divinitas ac veritas certissime confirmatur. Hisce igitur breviter indicatis, accedimus ad factum ipsum demonstrandum, seu reipsa in Scripturis V. T. plura inveniri (1) quae ex intentione Spiritus San-

(1) Nonnulli recentiores scriptores, quos inter R. P. Patritius, distincte agunt primo de typologia obiective spectata, seu de rebus ipsis vel personis quae in signum aliarum rerum assumptae fuerunt, deinde vero de sensu my-

cti mysticam et allegoricam habent significationem. Quod duplici argumento evincemus.

Arg. 1^o ex testimonio Hagiographorum N. T.

In libris N. T. plura occurrunt testimonia pro sensu mystico in V. T. existente, quorum alia sunt *explicita*, alia vero *implicita*, explicita vero sive *generalia*, sive *specialia*: de quibus ordine dicendum erit.

I. Testimonia Hagiographorum *explicita*.

1^o Testimonia *generalia*, quae scilicet in universum affirmant mysticam significationem rerum quae in V. T. leguntur. Solet hic adduci testimonium Pauli 1 Cor. X 6, 11 ubi de Hebraeis loquens ait: « Haec autem in figura facta sunt nostri... haec autem omnia in figura continebant illis » ubi pro figura graecus textus habet vocem *τυποι*. Attamen si locus diligenter inspicatur non est omnino certum ibi sermonem esse de mystico sensu: possent enim verba Apostoli simpliciter explicari de moralibus documentis quae ex historia Iudaeorum peregrinantium in deserto, de qua tantum est sermo, a nobis deduci possunt ac debent, quod a sensu proprie mystico omnino differt: tota enim historia non solum sacra sed etiam profana, ut Tullius aiebat, est *magistra vitae* propter moralia documenta, quae prudens lector ex ea deducere potest, quin typi proprie dicti in ea sint admittendi. Nihil aliud dicere voluisse Apostolum insinuat contextus: narrata enim historia eorum quae acciderunt in deserto, et poenarum quas Deus de protervis Iudaeis sumpserrat addit: « Haec autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt, neque idololatrae efficiamini, sicut quidam ex ipsis..... neque fornicemur sicut quidam ex ipsis fornicati sunt et ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Christum sicut quidam eorum

stico et typico Scripturarum, seu illorum locorum sacrae Scripturae ubi de illis rebus sit mentio. Sed non videtur necessaria haec tractationis partitio: sufficit enim semel monere sensum typicum rerum fieri sensum Scripturae quoties res illae in Scripturis describuntur et narrantur, atque ita quidquid de rebus dicitur ad ipsas Scripturas, earumque sensum referendum esse. Ceterum diffusa tractatio de sensu spiritali seu mystico quam laudatus Patritius dat in lib. 1. *De interpretatione Scripturarum* ss. capp. VIII-XVII magui momenti est, et ex ea plura in rem nostram convertimus.

tentaverunt et a serpentibus perierunt etc. » et concludit « haec autem omnia in figura continebant illis (*τυποι δε παντα τυποι συνεβαινον εξειναι*): scripta sunt autem ad correptionem nostram in quos fines saeculorum devenerunt. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat ». Dimisso itaque hoc testimonio aliud clarius et certius adducimus ex eodem Apostolo Coloss. II, 16 et 17 ubi ait: « Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniae aut sabbatorum, quae sunt umbra futurorum: corpus autem Christi » idest corpus vel solida res per illos ritus adumbrata ad Christum pertinet, seu in Christo invenitur. Hisce verbis contendimus Paulum generatim affirmasse mysticam et allegoricam significationem institutorum et caeremoniarum quae in lege Moysi praecipiantur. Imprimis enim nativa vis metaphorae hoc indicat: cum enim umbra sit imago corporis cuius umbra est, patet observationes legales hic dici imagines seu typos fuisse mysteriorum Christi et Christianae Ecclesiae, quae per illas praefigurabantur. Crescit argumentum collato altero Apostoli testimonio Hebr. VIII, 5 ubi eadem metaphora utitur, sed aliquid addit quod eius sensum clarius determinat. Loquens enim de ministerio Sacerdotum leviticorum ait: « Qui exemplari et umbrae deserviunt coelestium, » quibus verbis tabernaculum et omnia ad illud pertinentia non solum vocat umbram *σκιαν*, sed etiam *exemplaria*, seu typum vel imaginem (*υποδειγμα*) rerum caelestium *των επουρανιων*, idest rerum nobiliorum et spiritualium quae in Christo et per Christum futurae erant: quod etiam repetit in capite sequenti ubi commemorata historia consecrationis veteris tabernaculi et vasorum ministerii per sanguinem victimarum, subdit vers. 23: « Necessae est ergo *exemplaria* quidem *coelestium* his mundari: ipsa autem coelestia melioribus hostiis quam istis », idest Christi ipsius sanguine.

2^o Testimonia *explicita* et *specialia*, quae scilicet speciales res vel personas et singularia loca V. T. respiciunt, plura sunt praesertim in Epistolis Paulinis. Satis erit praecipua indicare. Gal. IV 22 seqq. in historia Abrahami Gen. XVI, 15 et XXI, 2 seu in duabus eius uxoribus Sara et Agar eorumque filiis Isacco et Ismaele, mystica significatio agnoscitur: « Quae sunt, inquit, *per allegoriam* dicta. Haec enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina

in servitutem generans : quae est Agar.... illa autem quae sursum est Ierusalem, libera est, quae est mater nostra.... Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filii sumus... Itaque, fratres, non sumus ancillae filii, sed liberae : qua libertate Christus nos liberavit ». In epistola ad Ephes. V, 31 seq. coniugium Adami, et Hevae, et verba, quibus matrimonii institutio exprimitur Gen. II, 24 mystice explicantur nota illa sententia « *Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia* » uti vox sacramentum (μυστήριον) non theologicis sensu accipitur, ubi notum est, sed pro *mysterio*, seu figura, aut imagine alterius rei, quam Paulus docet esse coniunctionem spiritualem inter Christum et Ecclesiam, ut in textu graeco clarius apparet, nam pro ablativo ponitur accusativus: Εγώ δε λαλώ εις Χριστον, και εις την Εκκλησιαν: In Epistola ad Romanos V, 14 non obscure indicatur Adamum Christi figuram fuisse cum ille dicitur *forma futuri typus, του μελλοντος*, idest Christi, quem etiam alterum Adamum alibi (1 Cor. XV) Paulus appellat. In 1 Cor. X, 4 rupes illa ex qua Moyses aquas eduxit in deserto (Ex. VIII, Num. XX) dicitur Christum praefigurasse « *Petra autem erat Christus* » eaque de causa rupes illa *spiritalis petra*, et aqua inde educta *potus spiritualis* vocatur, scilicet ob istum spiritalem sensum, quem continebat.

II. Testimonia *implicita* vocamus illa in quibus expresse non affirmatur mysticus quorundam locorum V. T. sensus, sed tamen vel supponitur vel aliqua ratione insinuat. Quod cum variis modis fiat ab Hagiographis N. T. oportebit in varias classes huiusmodi testimonia tribuere.

1° Hagiographi N. T. implicita revelant mysticum Scripturae sensum cum *demonstrationis causa* producunt testimonia ex V. T., quae literaliter accepta ad rem de qua agitur nullatenus pertinent. Tunc enim aut dicendum est testimonia illa perperam ac temere allegata fuisse, aut ea praeter literalem sensum alium continere idest mysticum, secundum quem opportune et efficaciter allegari potuerint. Exemplum suppeditat Apostolus, qui Hebr. 15 ad probandam Christi excellentiam super omnes creaturas inter alia testimonia adducit Dei verba 2 Reg. III 14 « *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in Filium* » quae in contextu literalis non nisi de Salomone intelligi possunt. Aliud exemplum occurrit in

Cap. VII eiusdem Epistolae, ubi Paulus ex historia Melchisedechi narrata Gen. XIV demonstrare contendit Christi sacerdotium excellentius esse sacerdotio Aaronico, ex eo scilicet quod Melchisedech appareat excellentioris dignitatis fuisse Abrahamo Hebraeorum patre. Sane consequentia argumenti nulla esset, nisi supponatur Melchisedech Christum Sacerdotem praefigurasse in historia illic relata. Hoc enim supposito argumentum recte procedit; si enim Melchisedech sacerdos, qui erat figura Christi, superior fuit sacerdotibus Leviticis, multo magis Christus ipse, qui est figuratum, illis superior erit: figuratum enim est semper excellentius sua figura. Aliud exemplum suppeditat ipse Dominus Matth. XX, 42 seqq. ubi demonstratur se fore novae Ecclesiae in locum Synagogae fundatorem, avertit verba Ps. CXVII, 22, quae tamen literaliter de David scripta fuerunt.

2° Alias Hagiographi implicite demonstrant mysticos sensus cum absolute affirmant aliquam rem vel personam N. T. fuisse praedictam in quodam loco V. T. qui tamen locus literaliter acceptus illam rem vel personam minime respicit. Nisi enim dicere velimus Christum et Apostolos errasse in Scripturis citandis, quod nefas est, tenendum omnino erit in locis illis mystice haec praenunciata fuisse. En quaedam exempla. Christus Dominus in duplici apparitione quam refert Lucas XXIV, 26 seq. et 44-47, diserte affirmat suam passionem et resurrectionem praedictam fuisse in *Lege Moysi, et Prophetis et Psalmis*. Imvero de Prophetis et Psalmis nulla quaestio esse potest: pleni enim sunt apertissimis ac splendidis vaticiniis de Christi passione, morte ac resurrectione iuxta literalem verborum sensum. Sed in *Lege Moysi* ubi, quaeso, haec leguntur? nec unum enim verbum in Pentateucho occurrit quod ad Christi passionem ac mortem pertineat. Necesse ergo est admittere Moysen secundum mysticum sensum haec praenunciasset. Et revera quae Moyses scribit et praecipit de sacrificiis ac victimis legalibus mystice designant Christi passionem ac mortem, imprimis ritus Agni Paschalis Ex. XII, ut inter caeteros insinuat Iohannes in Evangelio XIX, 36: quibus addi potest narratio de serpente aeneo a Moysen in deserto exaltato Num. XXI, 9, quae Christi crucifixionem eiusque effectus praefigurabat, ut ipse Christus innuit Io. III, 14 seqq. Accedit aliud testimonium Matth. XIII,

34 seq. ubi in Christo impleta dicantur verba Ps. LXXVII, 2, quae tamen Psalmista de se ipso scripserat. Adde locum alias citatum Math. II, 15, ubi de Christo ex Aegypto revertente scripta dicuntur verba Oseae XI, 1, quae literaliter de populo Hebraico ex captivitate aegyptiaca liberato intelligenda sunt: item Math. II, 17 seqq. coll. Ier. XXXI, 15, et Pauli locum Hebr. II, 13 coll. Ps. XVII, 3, Is. VIII, 8, item alia plura in eiusdem Pauli epistolis.

3° Alius modus quo Hagiographi mysticum sensum subindicant, est nominum permutatio: quando scilicet rem vel personam N. T. appellant simpliciter et absolute nomine alterius rei vel personae V. T. aut viceversa, nulla prorsus addita explicatione: quo insinuatur inter utramque rem vel personam intimum existere nexum, et quidem typicum, seu typicae representationis, ita ut unius nomine altera quoque designari possit, quemadmodum fieri solet de imagine comparata cum re vel persona representata; dicimus enim de Caesaris statua: hic est Caesar, quia illum representat. Exempla non pauca suppeditant libri utriusque Testamenti. Ita I Cor. V, 7 et Apoc. V, 6 Christus simpliciter et absolute vocatur *Pascha* (idest Agnus Paschalis), et *Agnus occisus*, quia nempe per Agnos sacrificiales, et imprimis Paschales praefigurabatur. Alibi vocatur simpliciter et absolute *David*, ut Os. III, 8: « Post haec revertentur filii Israel, et quaerent Dominum Deum suum, et *David regem suum*; » et Ezech. XXXIV, 23: « Suscitabo super eas pastorem unum qui pascet eas, *servum meum David*: ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem, » quae de Christo tantum intelligi possunt, cum David rex a multis saeculis mortuus esset, et hic propheta de novissimis diebus, seu de tempore Messiae loquatur: similia habentur Ier. XXV, 29. Item Ecclesia Christi simpliciter vocatur *Jerusalem* (Hebr. XII, 22 seqq. Ier. XXXI, 16 et alibi), vel *Templum* (Zach. VI, 13, Am. IX, 11), vel *Juda* aut *Israel*, ut fit ex. gr. Ier. XXIII, 6: « In diebus illis salvabitur *Juda*, et *Israel* habitabit confidenter: et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster ». Similiter hostes Christi eiusque Ecclesiae vocantur nominibus hostium Iudaeorum *Idumaei*, *Moabitae*, *Assyrii* etc. (Am. IX, 12, Mich. V, 5 etc.).

4° Denique Hagiographi non obscure insinuant mysticum sensum, cum de una eademque re contradictoria vel incohaerentia

praedicant, aut de una re loquentes ad alteram ex abrupto transcurrunt, non monitis lectoribus de nexu inter utramque rem intercedente. Haec enim aliter explicari non possunt quam ex hypothesi mysticae connexionis inter res et personas illas intercedentis, ex qua fit ut quae rei convenire non possunt ex se, ei convenient propter typicam significationem, seu potius convenient alteri rei per illam adumbratae: itemque ex eo factum est ut a typo ad eius antitypum propter nexum representationis, qui menti eius observabatur, nulla facta indicatione, auctor transcurrere posset. Exemplum pro primo modo clarissimum suppeditant ea Scripturae loca quae de efficacia sacrificiorum legalium suppeditant: aliquando enim affirmat ea nullam habuisse vim ad peccata auferenda: « Impossibile enim est, inquit Apostolus, sanguine tauro-rum et hircorum auferri peccata » et iterum: « omnis quidem sacerdos praesto est quotidie ministrans, et easdem saepe offerens hostias, quae nunquam possunt auferre peccata (Hebr. X, 4 et 11). Quod respondet testimoniis etiam prophetarum quae ibidem citantur, ut Ps. 39, 7 et 8, quibus etiam concinit Ieremias Dei nomine inquit: « Numquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas? » At contra in aliis locis ex. gr. Lev. IV, 36 vis auferendi peccata sacrificiis illis tribuitur. Dicendum est igitur iisdem sacrificiis ac victimis inditam fuisse significationem ac representationem victimae, et sacrificii divini Christi Domini, et secundum hunc respectum efficaciam habuisse quam per se habere non poterant. Ad alterum autem modum pertinent plura Prophetarum vaticinia ubi abruptus fit transitus ex. gr. a liberatione Iudaeorum per Cyrum ad generalem redemptionem per Messiam adducendam, a templi aedificatione ad foundationem Ecclesiae, a gestis vel prerogativis Davidis et Salomonis ad Christum eiusque gesta ac mysteria.

Omnibus hisce modis Hagiographi insinuant mysticum plurimum rerum ac personarum V. T. destinationem, quibus si addantur explicitae affirmationes superius adductae, nullum dubium relinquatur quin Christus et Apostoli alique legati divini nobis tradiderint, in libris V. T. praeter sensum literalem, etiam mysticum inveniri.

Arg. II^m Ex traditione desumptum.

Cum de re agatur, quae ad V. T. pertinet consulenda nobis est non modo Christiana, sed etiam Iudaica traditio. Ex utriusque

autem consensu validissimum argumentum exurget pro mystico sensu Scripturarum V. T.

I. Traditio Iudaeorum pro mystico sensu in libris V. T.

Si ostendi possit Iudaeos perpetua, constanti, ac unanimi sententia agnovisse in libris V. T. mysticum sensum, ita ut eosdem libros ab ea aetate qua scripti sunt semper hac ratione intellexerint atque exposuerint, efficacissimam habebimus rationem concludendi talem sensum revera in iis libris contineri, idque ab ipsis prophetis Synagogae revelatum ac traditum fuisse, quae olim legitima fuit custos Scripturarum ac interpres eloquiorum Dei. Creseit argumenti vis si attendamus 1) traditionem Iudaicam per multas ac varias aetates porrigi, pluresque inter se diversas et saepe contrarias doctorum scholas complecti; 2) Scripturarum interpretationem apud Iudaeos nunquam fuisse privatorum hominum arbitrio permissam, sed Synagogae, sacerdotum, ac prophetarum vigilantiae subjectam, ad quos tum religionis administratio in genere, tum in specie Scripturarum custodia et legitima earum interpretatio ex divina institutione pertinebat.

Hisce praenotatis demonstrandum aggredimur reapse apud Iudaeos extitisse unanimum et constantem traditionem de mystico ac typico Scripturarum sensu (1). Quod ut clarius appareat breviter percurramus varias epochas Hebraeorum sive ante, sive post captivitatem Babilonicam, nec non etiam epocham, quae Christi adventum subsequuta est.

Pro epocha prima, seu pro Iudaeis qui ante captivitatem Babilonicam vixerunt, pauca suppetunt testimonia: nullum enim scriptum opus aut monumentum Iudaeorum habemus praeter ipsos Scripturae libros. Attamen praeterquamquod ex subsequenti aetate arguere licet quid in prima illa epocha Iudaei senserint, non desunt huius traditionis vestigia in ipsis sacris libris qui ante captivitatem editi fuerunt, in quibus supponitur in lectoribus persuasio ac sententia de typis et figuris. Ita ex. gr. initio Ps. LXXVII Psalmista (Asaph) ait: «Aperiam in parabolis (hebr. בְּמִשְׁלָל) os meum,

(1) Id tam certum est ut nec adversarii inficiuntur; ex quibus Bauer Herm. Sacra P. I. §. 29 scribit: «Hae mystica litterae sacras V. T. interpretandi ratio iam ante Christi aetatem non recepta erat... deinde ab his (Iudaeis) ad Christianos transit qui illi diutissime inhaeserunt.»

loquar propositiones (hebr. מִדְּבָרִים) ab initio». Iamvero in toto hoc Psalmo nullam prorsus parabolam, seu symbolicum et occultum sensum proponit, sed nihil aliud facit quam in mentem revocare iuxta ordinem historiae praecipua facta Hebraeorum a Patriarcha Iacob usque ad Davidis regnum. Quare sacer Scriptor satis clare indicat in illis factis mysticas aliquas significationes latere. Similiter David in Ps. CIX vocans Messiam Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech non obscure innuit huius (Gen. XIV) typicam destinationem, qua Christum Sacerdotem praefigurabat: non enim dici poterat Christus Sacerdos secundum ordinem (עֵלֶיֶדְבָרֵהוּ) Melchisedech quasi ei succederet in serie Sacerdotum, cum Melchisedech nec successores habuerit, nec ad determinatum sacerdotum seriem pertineret quemadmodum sacerdotes Aaronici (Vide Hebr. VII). Etiam Isaias dum Cap. LIII sub agni imagine Christum patientem describit alludere videtur ad typicam significationem Agni Paschalis atque victimarum antiquae Legis. Huc etiam pertinent saepius commemoratae symbolicae actiones prophetarum quae toties recurring in Isaias, Ieremiae, Ezechielis aliorumque prophetarum libris ante captivitatem conscriptis, quae ostendunt hunc modum futura praedicendi et significandi per res aliquas symbolicas potius quam per verba passim a sacris scriptoribus adhibitum fuisse, eumque populo Iudaeorum admodum familiarem evasisse. Hoc sensu Isaias dicit se suosque filios datos a Deo fuisse in signum et in portentum Israel (VIII, 18) et pariter Ezechiel dicitur esse Iudaeis in portentum (לְמַעַן) Ezech. XXIV, 24.

Pro epocha secunda uberiora documenta supersunt. Sane ut nihil dicamus de testimoniis libri Sapientiae IX, 8, XVI, 21-20, et Eccli. XXIV, 23 seq. in quibus ipse Bauer vestigium allegoricae interpretationis sibi reperisse videtur, clariora testimonia adducere possumus ex profanis scriptoribus, quorum alia respiciunt Iudaeos Alexandrinos, alia Palaestinos. Quod pertinet ad Alexandrinos vestigium mysticae interpretationis praebent Scripturae expositiones ab Eleazaro et Aristobulo aetate Ptolomaei Philadelphi propositae quas memorat Eusebius in Demonstr. Evang. Lib. VIII, Cap. 40. Hisce adde testimonium libri Aristeae, qui licet genuinus non videatur, ipso tamen fatente Hody celebri eius impugnatore, ante Christi aetatem ab homine Alexandrino conscriptus est. In hoc enim

libello refertur sermo Eleazari Pontificis, in quo tropologicus sensus quarumdam legum Mosaicarum aperiebatur: « His itaque, aiebat ille, quasi symbolis quibusdam legislator voluit ostensum intelligentibus, ut cogitarent se debere esse iustos et nihil per vim agere, neque fiducia potentiae et virum suarum alios opprimere. . . . Quae nobis concedit in omnibus. . . . figurate id ad morum informationem statuit. » Prae caeteris vero ad rem nostram facit testimonium Philonis Iudaei Alexandrini, qui et ipse mysticas interpretationes sequutus est, et de aliorum doctorum, nec non scholarum Iudaeorum sententia nos certiores facit. Itaque Philo in Libro de Abraham typum agnoscit in Patriarchis Abraham, Isaac et Iacob (Edit. Turnebii 1691, Pag. 357), et in lib. De migratione Abrahae mystice explicat circumcisionem, caeremonias legales, eosque mysticos sensus ita confert cum literalibus, et historico ut dicat: « Praestat haec (mystica) tamquam animae, illa tamquam corpori similia putare » (Pag. 402); ubi etiam diserte affirmat (Pag. 406) Summum Pontificem figurasse Verbum divinum, quod etiam repetit et exponit in Libro de Profugis (Pag. 466). Plura alia huiusmodi Philonis testimonia occurrunt in Libro Sacrarum Legum Allegoariarum, et in Libr. de Mundi officio. Philonem autem in hac re maiorum suorum sententiam sequutum fuisse ipse docet in libro De Vita contemplativa, ubi de celebri secta Therapeutarum scribit: « Versantes enim sacra volumina philosophantur, patria philosophia allegorice exposita; putant enim ea quae verba ipsa sonant esse symbola latentis naturae per figuras manifestatae. Habent vero et commentarios priscorum virorum, qui, sectae auctores cum essent, multa monumenta de allegoriis reliquerant, quibus veluti exemplaribus utentes huius instituti rationem imitantur ». Eandem sententiam alteri quoque celeberrimae Iudaeorum sectae, Esseniorum scilicet, inhaesisse Philo testatur in Lib. Quod omnis probus sit liber scribens: « Plura ipsi symbolorum ope veteres aemulati philosophantur » (Pag. 877).

De Iudaeis Palaestinis, ipsisque Pharisaeis qui literae legis tenacius adhaerebant idem ostendi potest. Nam praeter superius allatum testimonium Eleazari Summi Pontificis Ierosolymitani, quod etiam genuinum esse negetur praesumendum tamen est a pseudo-Aristea confictum iuxta rei verisimilitudinem et notam Iudaeo-

rum Palaestinsium opinionem, notatu dignum est testimonium Iosephi Flavii, De bello Iudaico lib. III, et Antiquit. Lib. XVII, 3, 4, ubi de Pharisaeorum sententia circa Scripturarum interpretationem loquitur: imo et ipse licet Pharisaeus allegorica expositione utitur in pluribus locis suorum operum, ut in Prooemio Antiquit. s. IV coll. Lib. III, 6. 4 et 77, et De Bel. Iud. Lib. V, Cap. 6, 4. Denique de Palaestinsium Iudaeorum sententia omne dubium removet Christi et Apostolorum agendi ratio, qui cum illis loquentes, vel ad eos scribentes, aut, quod magis est, illorum praeeudicia refutantes passim ad mysticos Scripturae sensus confugiunt, et ex eis argumenta desumunt, quod supponit communem persuasionem non solum Apostolorum, qui et ipsi Palaestini erant, sed universim omnium Iudaeorum in illa regione degentium, persuasionem, inquam, de mystico sensu sub Scripturae litera latente.

Ad tertiam epocham quod attinet notandum est testimonium Iudaeorum qui post Christum vixerunt non frustra ad nostrae Theoseos confirmationem adduci: quamvis enim hi cum vera fide omnem quoque auctoritatem amisserint, tamen ob peculiare illius gentis ingenium antiquitatis et patriae traditionis tenacissimum non immerito adhiberi possunt uti testes antiquioris Iudaeorum fidei in re de qua agimus. Porro hos omnes mysticum et allegoricum sensum in Scripturis admisisse constat 1° ex testimonio Talmudis, in quo non solum plura mystice explicantur sed etiam expresse affirmatur multa in Pentateucho allegorice intelligenda esse. Ita in Tract. Berachot Cap. V circa finem legitur: « Dedit nobis Deus formas tabernaculi, sanctuarii et omnium vasorum eius, candelabri, mensae et altarium in typos rerum intellectualium et ad intelligendum ex his veritates supernas. » Quinimo in Tract. Kiduscim Fol. 41 col. 4 generatim affirmatur: « Quicumque exponit textum secundum formam suam tantum (id est iuxta sensum literalem) ecce is est mendax ». 2° Ex auctoribus cabalisticis: siquidem, si praescindamus ab huius systematis abusu et ab infinitis nugis ac ineptiis quibus cabalistarum libri referti sunt, ipsius systematis veluti substantia mysticam Scripturarum significationem supponit et in ea fundatur. Aiunt enim Moysi duas veluti leges in monte Sinai traditas fuisse, seu potius tres, id est legem scriptam, nempe illam quam scripto tradere debebat, et duas orales; quae non scripto

consignandae, sed per traditionem conservandae erant, quarum una legalis dicitur quae a Rabbis Talmudistis praecipue conservata est, altera vero est mystica quam pauci doctiores agnoverunt qui cabalistae vocantur (1), eaque saltem magna ex parte in mystica et allegorica rerum et personarum biblicarum significatione fundatur. 3^o) Denique ex auctoribus Midraschicis aliisque commentatoribus S. Scripturae, etiam iis qui pressius literali sensui inhaerent. Et imprimis de antiquioribus Rabbis testatur Eusebius Caesareae in Palestina episcopus eos iunioribus et infirmioribus discipulis Scripturae historias simpliciter et literaliter exposuisse: « Iis vero, inquit, quibus mentis habitus fuerit exercitatione robustior, alius illud doctrinaeque plenum contemplationis genus tractare concedunt, quod illa quam vocant *δευτεροπαιαν*, et *illustriore quadam ignotorum vulgo sensorum explicatione* continentur ». Ex posterioribus vero Iudaeorum interpretibus, et doctoribus multa desumi possunt testimonia non solum implicita, ex eo quod in suis libris mysticas interpretationes Legis passim tradant, sed etiam explicita et diserta, ubi hoc et fieri posse docent, et omnino faciendum esse, et quidem ex communi sapientum suorum sensu ac sententia. Ita inter ceteros celeberrimi interpretes David Kimchi, et Salomon larchi in comment. in Ps. 2 fatentur hanc psalmum de Messia intelligendum esse iuxta interpretationem antiquiorum doctorum, simul tamen de Davide posse explicari secundum sensum literalem. Plura alia testimonia Rabbiorum qui loca V. T. in sensu mystico interpretati sunt, videri possunt apud Io. de Voisin in *Adnot. in Prooem. Pugnantis fidei* Raimundi Martini. Speciali mentione dignum est testimonium Rabbi Jos. Albo in celebri opere *Sepher Ikkarim* Lib. III Cap. 21 ubi pro re nostra ita diserte scribit: « Reperiuntur in Lege multa, quae sapientes omnes fatentur signa esse rerum inclytarum, sublimitum, rerumque spiritualium, qualis est descriptio horti Eden, et quatuor fluviorum et caetera, non tamen negant veram eorum existentiam secundum literalem sensum, verum dicunt res illas quae sic revera extant, signa esse praeter-

(1) Vide Opusculum P. Draeh — *La Cabale des Hebreux vengée de la fausse imputation de Pantheisme par le simple exposé de sa doctrine d'après les livres cabalistiques qui font autorité*. Rome 1864. Cf. etiam Bouffierii *Prooemium in s. Scripturam* Cap. 21.

ea rerum praestantiorum et superiorum... similiter dicunt Ierusalem inferiorem figuram esse Ierusalem superioris ». Et paucis interiectis ita concludit: « Sic intelligimus esse in lege res quae sunt signa rerum aliarum praestantiorum et sublimiorum, quae tamen revera extant secundum sensum literalem... Hinc vocatur lex Testimonium, ut diximus, ad significandum illa quae exhibet revera existere secundum literalem sensum, neque figuram illis tribui, qua simplex veraque eorum existentia destratur. » Aliud quoque testimonium Rabbi Maiemonidis affert Galatinus in *Arcanis Catholicae Veritatis* lib. I Cap. 6 desumptum ex tractatu primo *Moré Nevochim* ubi ait: « Scito quod clavis intelligentiae universorum quae prophetae dixerunt est intelligere parabolas, et metaphoras, et similitudines atque aenigmata. » Quod autem nomine *parabolarum* intelligat mysticos et allegoricos sensus ex toto contextu apparet, imprimis ex explicatione quam praebet verborum Prov. XXV, v. 11: *Poma aurea in cancellaturis argenteis*, quae pulchre explicat de duplici sensu Scripturarum inquit: « Quod verbum dictum secundum *ambas facies suas*, id est secundum *interiorem, et exteriorem* sensum est sicut pomum in retiaulo argenteo. Ac si dicat necessarium esse ut sit sensus exterior pretiosus, et bonus, velut argentum, interior vero multo melior sicut aurum... necesse quoque est ut sit aliquid in exteriori sensu quod ducat ac trahat, considerantem ad interiorem. Quemadmodum pomum aureum vestitum retiaulo argenteo cum procul respicitur vel absque multo intuitu totum videtur argenteum, cum vero ob valorem argenti atque decorem, habens visum acutum provocatus accesserit, videbit profecto aureum pomum intus latere. » Ibidem etiam fatetur Maiemonides de Talmudistis doctoribus eos praeter literalem sensum admisisse spirituales, et illum quidem candelae comparasse quae parvo pretio emi potest, hunc vero, seu mysticum et allegoricum, margaritae in tenebris latentis, quae tandem ope illius candela, hoc est per literalem sensum, seu exemplum, a quaerentibus invenitur. Nec alia fuit sententia doctissimi Abarbanelis qui in Comm. in Dan. fol. 86 docet inter caetera egressum Hebraeorum ex Aegypto fuisse « testimonium clarum redemptionis futurae, » et in alio loco citato a Frischmuth (in Thes. Theol. philol. Tom. II pag. 363 edit. Amsterdami 1702) expresse affirmat: « In opere

Tabernaculi et caeteris praecipua intentio fuit, ut sint tamquam liber sapientiae altioris, et rei gloriosae, ad quam ipsa dirigantur. » Eadem est sententia caeterorum Rabbiorum, uno excepto Aben Ezra, qui, ut in nonnullis aliis, in hoc etiam a communi suorum traditione et sensu recessit, a caeteris proinde severe reprehensus: quamvis et ipse in nonnullis locis, praesertim Psalmorum abstinere non potuerit a quibusdam mysticis sensibus subindicandis.

II. Traditio Christianorum non minus constans ac certa apparet in re de qua agimus, ipso adversario quem hic praecipue refellimus ultro fatente (1). Desumi vero potest Christianorum sensus ex triplici capite, scilicet ex liturgia Ecclesiae, ex monumentis archaeologicis, et ex testimonio et praxi Doctorum et interpretum.

1° Liturgia Ecclesiae cum latina tum graeca plena est mysticis et allegoricis sensibus. Quis enim nescit figuras seu typos Christi in Agno Paschali, aliisque victimis V. T. passim ab Ecclesia commemorari, item figuras Beatae Mariae Virginis in Iudith, Esther aliisque sanctis foeminis agnoscere, multa etiam gesta Abrahami, Moysis, Davidis, Salomonis allegorico sensu exponi? Conferantur ex gr. Praefatio Missae Paschalis, Benedictio cerei Paschalis in Sabbato Sancto, item oratio quae in canone Missae quotidie recitatur: *Supra quae propitio ac sereno vultu* etc. ubi figurae sacrificii Eucharistici non obscure indicantur: quae clarius proponuntur in sequentia Missae SSmi Corporis Christi, ubi postquam generatim dictum est: *umbram fugat veritas*, postea magis expresse additur de eodem sacrificio et Sacramento Eucharistico: « *In figuris praesignatur dum Isaac immolatur, Agnus Paschae deputatur, datur manna Patribus.* »

2° Archaeologia Christiana plurima offert pro re nostra testimonia, de quibus plura diceremus, nisi haec iam quodammodo praecipua occupata essent per ea quae diximus in Par. II Introd. Criticae,

(1) Sane Bauer in Op. cit. pag. 43 scribit: « Non solum autem Pontificiorum (catholicorum) interpretes, sed et Luteraeae et reformatae Ecclesiae additi hanc per traditionem acceptam allegoricam interpretationem receperunt, receptam excolerunt. » Et etiam in alio loco sup. cit. fassus fuerat persuasionem de mystico sensu a Iudaeis ad Christianos transiisse, qui, inquit, *illi diutissime inhaeserunt.*

ubi de Canone Scripturarum agebamus. Ibi enim vidimus pleraque Christianae fidei mysteria per typos vel figuras ex veteri imprimis Testamento depromptas expressa fuisse. Ita Moyses praefigurat Petrum Apostolum, Ionas Christi sepulturam et Resurrectionem, Isaac Christi sacrificium, Arca Noe Baptismum et alia plura huiusmodi (1).

3° Denique Patres ac Doctores Ecclesiae unanimi prorsus sententia mysticum sensum in libris V. T. agnoscunt. Imprimis enim in Scriptura exponenda quoties opportunitas sese offert mystice et allegorice explicant Scripturarum loca ita ut potius excessus quam defectus in hac re deprehendi possit. Sufficiat igitur praecipua quaedam testimonia Patrum afferre qui magis expresse et assere veranter de hac re loquuti sunt, eorum praesertim qui ceteroquin sobrie allegorice interpretatione usi fuerunt et literali sensui accuratius adhaeserunt, uti sunt praecipue illi, qui ad scholam Anthonem referri solent. Primus occurrit nobis Clemens Romanus qui in Epistola 1. ad Corinthios §. 12 loquens de Rahab quae per rubram funiculum ex fenestra dimissum servata est ex communi Ierentinorum strage ait per hoc « manifestum fieri, quod omnibus, qui credunt et sperant in Deum, per Sanguinem Domini redemptio futura sit » et concludit: « Videte, dilecti, non solum fides sed etiam prophetia in muliere fuit. » Hanc allegoriam plures alii Patres recipiunt, imprimis Iustinus dial. cum Tryph. 111, et Irenaeus adv. Haer. IV, 20. Succedit Barnabas, seu quisquis sit auctor epistolae quae eius nomen praesertit, ubi §. 7 allegorice explicat de Christo ritum capri emissarii, et ieiunium Iudaeis praescriptum pariter Christi sacrificium adumbrasse asserit, quod etiam dicitur in sacrificio Isaac expressum fuisse: « ut et impleteretur, inquit, figura facta in Isaac qui super altare fuit oblatas ». In §. 8. typos agnoscitur in sacrificio iuvencae rubrae: « Vitulus iste, inquit, Iesus est; homines nequam qui asserunt, sunt ii qui Dominum ad necem obtulerunt. » In §. 9 ritus circumcisionis spiritualiter intelligendus esse dicitur de cordis circumcisione. Denique in sequentibus §§. praesertim usque ad §§. 14 plures alii V. T. typos ostenduntur, et explicantur. Iustinus martyr in Dial. cum Tryphone

(1) De his plura dabunt Macarius in *Hagioglyptis* lib. II, et Io. Baptista De Rossi in *Roma sotterranea*, in *Bullettino* et aliis operibus passim.

passim ad mysticam legalium rituum rerumque V. T. sensum appellat, ut ex. gr. in §. 68 ubi ait: *multa mysteriis et actionum quarundam symbolis fuisse adumbrata*; item in §. 42: *omnia a Moyse instituta.... imagines et signa et praenunciaciones fuisse*, et in §. 114 ubi scribit: *interdum Spiritus Sanctus efficiebat, ut claro aliquid et aperte fieret, quod quidem imago esset futuri* » ac denique § 131 concludit: *res omnes (Christi) his symbolis praesignificabantur* ». Concini S. Irenaeus adv. haer. lib. IV Cap. 25 § 3. scribens: *« Oportebat enim quaedam quidem praenuntiari paternaliter a patribus, quaedam autem praefigurari legaliter a prophetis, quaedam vero deformari secundum formationem Christi ab his qui adoptionem perceperunt, omnia vero in uno Deo ostenduntur. Cum enim unus esset Abraham, in semetipso praefigurabat duo Testamenta: »* et complura alia in eodem libro mystice de Christo explicat praesertim cap. 31 et 33: quinimo in principio Cap. 26 generatim affirmat: *« per typos, et parabolas (Christus) designabatur. »* Tertullianus non solum plures typos passim in suis libris explicat, ut ex. gr. lib. de Baptismo Cap. 9. Lib. de Idolol. Cap. 5, Lib. adv. Praeam Cap. 16, sed etiam generatim et expresse affirmat existentiam sensus mystici et allegorici in libris V.T. Ita adv. Marc. Lib. V. Cap. 7 scribit: *« Ecce autem et in petram offendit coecus Marcion, de qua bibeant in solitudine patres nostri. Si enim petra illa Christus fuit, utique creatoris, cuius et populus. Cui rei figuram extranei sacramenti interpretatur? an ut hoc ipsum doceret, figurata fuisse vetera in Christum ex illis recensendum? Nam et reliquum exitum populi decursurus, praemittit: Haec autem exempla nobis sunt facta »*; et clarius in lib. adv. Iudaeos circa finem Cap. XIV: *« Igitur quoniam primus adventus (Christi) et plurimis figuris obscuratus, et omni inhonestate prostratus canebatur, secundus vero et manifestus, et Deo condignus; ideoque quem facile et intelligere et credere potuerunt, eum solum intuentes, idest secundum, qui est in honore et gloria, non immerito decepti sunt (Iudaei) circa indigniorem, certe obscuriorem, idest primum. Atque ita in hodiernum negant venisse Christum suum. »* S. Hippolytus loquens de Susanna scribit: *« Ne modo, qui Deo credimus, ea quae nunc in Ecclesia fiunt, tamquam nova ac peregrina existimemus, sed cuncta haec olim per Patriarchas figurata credamus. »* Nec alia fuit S. Cy-

priani sententia, qui in libro De Bono patientiae ita diserte pro re nostra scribit: *« invenimus denique et Patriarchas et Prophetas, et istos omnes, qui figuram Christi imagine praecunte portabant. »* Omitimus testimonia Clementis Alex. Origenis aliorumque eiusdem scholae Doctorum, quorum sententia ita perspecta est ut potius de excessu allegoricae interpretationis reprehendantur. Ex aliis autem Patribus qui saec. IV et sequentibus floruerunt, sufficiat paucos quosdam ex praecipuis citare. Et ex graecis quidem occurrit Io. Chrysostomus ob literalem Scripturae interpretationem merito ab omnibus laudatus, qui tamen non omittit ubi opus est mysticos Scripturae sensus exponere: ita Hom. XXXVI in Gen.: *« Vide, inquit exponens historiam Melchisedechi, vide propter honorem in patriarcham collatum quomodo sacramentum insinuat, protulit enim panem et vinum. Videns typum cogita, oro, et veritatem et admirare divinarum Scripturarum accuratam diligentiam, quomodo superioribus saeculis et ab initio futura praesignata sint. »* Et de Agno Paschali loquens in Hom. De Pass. Dom. aperte docet illum Christi typum fuisse, eiusque sanguinem Christi Domini Sanguinem praefigurasse: *« Vultis, inquit, sanguinem Christi audire virtutem? redeamus ad eius exemplum et priorem typum recordemur, et pristinam Scripturam narremus. »* Et declarata historia Agni Paschalis ita concludit: *« Nunc ergo si viderit inimicus non postibus impositum sanguinem typi sed fidelium ore lucentem sanguinem veritatis Christi templi postibus dedicatum, multo magis se subtrahet. Si enim Angelus cecit exemplo, quanto magis terrebitur inimicus si ipsam perspexerit veritatem? »* Vide etiam Serm. de Jeun., Comment. in Ps. 46, Hom. XIII in Gen. S. Isidorus Pelusiota pariter ob accuratam ac literalem interpretandi rationem celeberrimus mysticos sensus non semel proponit et explicat ut ex. gr. in Historia Melchisedechi Gen. XIV, de qua in Epistola 431 scribit: *« Melchisedech panibus et vino sacerdotis munus obiens, per quae divinatorum mysteriorum typum adumbrabat. »* Cfr. etiam Eusebium Praep. Evang. lib. VIII passim, Theodoretum Praef. in Psalmos, S. Basilium hom. IX in Exaemer. circa initium, S. Gregorium Nazianzenum in Epist. ad Nemesium. Ex latinis autem S. Ambrosius in lib. II. in Lucam occasione circumcissionis Christi Domini affirmat mysticam significationem cum Circumcissionis in specie, tum

in genere omnium rituum antiquae Legis: « Circumciscus enim, inquit, vitis dominico dignus indicatus obtutu, quia oculi Domini super iustos. Vides omnem Legis veteris seriem fuisse *typum futuri*: nam et circumcisio purgationem significat delictorum. » Hieronymus tum in suis commentariis plures figuras ac typos V. T. explicat, tum etiam data occasione generatim affirmat sensus mystici existentiam in V. T. libris. Ita ex. gr. in Epist. ad Paulin. ubi de omnibus libris Scripturae summam loquitur, de libro Exodi inquit eum *mystica* praecepta continere, et de Libro Levitici scribit: « In quo singula sacrificia imo singulae pene syllabae et vestes Aaron, et totus ordo Leviticus spirant coelestia sacramenta. » Cum autem ad librum Iosue venit ita de eo loquitur: « Veniam ad Iesum Nave, qui *typum Domini* non solum gestis, verum etiam nomine praefert: transit Iordanem, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, et per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes atque confinia, Ecclesiae coelestisque Ierusalem spiritualia regna describit. » Mox autem de libro Iudicum subiungit: « In Iudicum libro quot principes populi tot figurae sunt. » Deinceps de libris Samuelis (seu 1^o et 2^o Regum): « Samuel, inquit, in Heli mortuo, et occiso Saul, veterem Legem abolitam monstrat: porro in Sadoc atque David novi Sacerdotii, novique imperii Sacramenta testatur: » idemque postea affirmat de duobus reliquis Regum libris, seu Melachim, inquit: « Si *historiam* respicias verba simplicia sunt, si in *litteris sensum latentem* inspexeris, Ecclesiae paucitas et haereticorum contra Ecclesiam bella narrantur. » Denique aliis missis ita de duobus Esdrae libris loquitur: « Esdras et Nehemias... in unum volumen coarctantur: instaurant templum, muros extruunt civitatis, omnisque illa turba populi redeuntis in patriam, et descriptio Sacerdotum, Levitarum, Israelis, proselytorum, ac per singulas familias murorum ac turrium opera divisa, aliud in *corticis* praeferunt, aliud retinent in *medulla*. » Consentit laudatis Doctoribus S. Leo M. tum in aliis pluribus locis tum in sermone de Transfiguratione, ubi explicans apparitionem Moysis et Eliae in Christi Transfiguratione inter alia scribit: « Adstipulantur enim sibi invicem utriusque Foederis paginae, et quem *sub velamine mysteriorum praecedentia* signa promiserant, manifestum ac perspicuum praesentis gloriae splendor ostendit. » S. Au-

gustinus in pluribus locis idem testatur; ita ex. gr. in lib. VIII de Gen. ad litteram cap. 7. scribit: « In narratione rerum gestarum res ipsae prius intelligendae sunt ut narrantur, tum demum *si quid aliud significant*, oportet perscrutari. » Et in lib. 1^o de Cons. Evang. Cap. XI §. 17 de Christo loquens ait: « Cui prophetando venturo gens una deputata est, *cuius reipublicae tota administratio prophetia esset* illius Regis venturi, et civitatem coelestem ex omnibus gentibus condituri. » Caeteris praetermissis, Patrum agmen claudat S. Gregorius M. pro re nostra ita clarissime scribens Lib. XX Moralium C. I: « Scientias omnes ac doctrinas ipso etiam locutionis suae more trascendit (S. Scriptura): quia uno eodemque sermone, dum narrat textum prodit mysterium, et sic scit praeterita dicere, ut eo ipso noverit futura praedicere. » Quo nihil clarius pro Theis nostra desiderari potest.

Arg. III ex ratione theologica.

Etiamsi Scriptura typos in V. T. non indigaret, aut constans traditio eis tam aperte non faveret, ipsa tamen consideratio rerum ac personarum quae in libris V. T. describuntur aequum rerum aestimatorem in hanc opinionem induceret ut crederet plures ex illis typos ac figuram gessisse aliarum rerum ac personarum N. T.: tanta est similitudo et connexio, quae inter has et illas intercedit. Quam convenientiam fortuitam non esse, sed a speciali Spiritus Sancti consilio ac destinatione pendere vehementer suadetur.

1^o Ex eo quod non est vaga atque incerta, sed *manifesta* omnino, et ultro sese offerens intuitum oculis, neque in una tantum vel altera rerum circumstantia, sed in *pluribus* saepe ac *minutis adiunctis* sese prodit.

2^o Quia non in paucis rebus vel personis occurrit, sed in pluribus ac *pene innumeris*, et per omnes epochas historiae Hebraeorum, quod certe casui adscribi nequit. Cur enim nihil tale occurrit in historiis aliarum gentium, puta Graecorum ac Romanorum, quae tamen abundant praeclaris viris, et eventibus magni momenti?

3^o Quia plerumque res illae, in quibus apparet convenientia, de qua loquimur cum rebus N. T., non sunt res mere naturales, vel fortuitae, aut ab hominum arbitrio dumtaxat originem habentes, sed *speciali Dei providentia praeeordinatae*, vel *praescriptae*,

et in singulis suis partibus constitutae, ita ut Deus ipse censendus sit ita eas accommodasse, ut res futuras futurosque eventus adumbrarent.

Haec quae in genere observavimus possent in specie declarari percurrendo historiam V. T. et de singulis figuris occurrentibus disserendo: cum tamen hoc nimis in longum traheret sermonem, tribus tantum exemplis contenti erimus quae sunt: sacrificium Abrahami Gen. XXII, ritus Agni Paschalis Ex. XII, et sacrificium capri emissarii Lev. XVI (1).

Typus in sacrificio Abrahami constitutus clarissimus est si conferatur cum Christi Domini sacrificio sive cruento in Cruce oblato, sive etiam incremento in SS^{ma} Eucharistia. Sane Isaac immolatur ab ipso patre, ita tamen ut suae immolationi ultro consentiat: Christus Dominus voluntate Patris mortem subit pro hominum salute, idque non coacte sed plenissima voluntate et charitate. Isaac immolandus ducitur super verticem montis Moria, super quem postea Iersusalem fuit aedificata, et in huius vicinia Christus est Crucifixus. Isaac immolandus super humeros defert ligna sacrificii: Christo Crux, in qua erat moriturus, humeris imponitur. Sacrificium Abrahami causa fuit benedictionis omnium gentium, quae in praemium eius fidei et sacrificii in ipso benedictionem receperunt: Christi sacrificium causa fuit salutis omnium hominum. Demum Abrahami sacrificium completum quidem secundum intentionem cum patris tum filii, incrementum tamen fuit, substituto scilicet hircio pro puero Isaac; sub quo respectu repraesentatur sacrificium Christi in Eucharistia, quod licet verum sit tamen citra sanguinis effusionem completur.

Adhuc clarior ac splendidior est, typus *Agni Paschalis*, quo pariter utrumque Christi Sacrificium cruentum et incrementum praefigurabatur. Placet rem totam exponere ipsis verbis Angelici Do-

(1) Ubertior expositio figurarum V. T. et cum N. T. comparatio videri potest apud S. Thomam 1. 2. Quaest. CII per totum, et (ex recentioribus) apud Io. Marchetti in op.: *Il Cristianesimo dimostrabile sopra i suoi libri anche a chi non li crede*, praesertim P. I. §. 21 et P. II. §. 18 et 19, item apud Huetium *Dem. Evang.* Praep. IX ubi simul conferuntur omnia loca V. T. quae ad Christum pertinent cum locis N. T. quae eorum implementum continent.

ctoris, qui, ut diximus, de iis copiose tractat in 1. 2. Quest. CII. Itaque in art. 3. ad 2. ita de ritu Agni Paschalis disserit: « Literalis ratio convivii Paschalis fuit in commemorationem beneficii quo Deus eduxit eos de Aegypto: unde per huiusmodi convivii celebrationem profitebantur se ad illum populum pertinere quem Deus sibi assumpserat ex Aegypto » et alia prosequitur declarare iuxta hanc rationem quam ipse *literalem* appellat, nos autem appellaremus *mysticam historicam*, seu *commemorativeam*, secundum divisionem alias explicatam. Deinceps vero sensum mystico-allegoricum, quem figuralem rationem vocat, exponit hisce verbis: « *Figuralis* autem ratio patet, quia per immolationem Agni Paschalis significabatur immolatio Christi secundum illud 1. Cor. V. 7: *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Sanguis vero agni liberans ab exterminatore, linitis superliminaribus domorum, significat fidem Passionis Christi in corde, et ore fidelium, per quam liberamur a peccato et morte secundum illud Pet. I. *Redempti estis pretioso sanguine Agni immaculati*. Comedebantur autem carnes illae, ad significandum esum Corporis Christi in Sacramento; erant autem assae igni, ad significandam passionem, vel charitatem Christi; comedebantur autem cum azymis panibus ad significandam puram conversationem fidelium sumentium corpus Christi, secundum illud 1. Cor. V. *Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis*. Lactucae autem agrestes addebantur, in signum poenitentiae peccatorum, quae necessaria est sumentibus Corpus Christi; renes autem accingendi sunt cingulo castitatis; calceamenta autem pedum sunt exempla mortuorum Patrum; baculi autem habendi in manibus, significant pastorem custodiam. Praecipitur autem quod in una domo Agnus Paschalis comedatur, idest in Ecclesia Catholicorum, non in conventiculis haereticorum. » Hisce addere liceat aliam animadversionem ex archaeologia hebraica desumptam; ex qua scimus Agnum Paschalem ut assaretur iuxta Hebraeorum morem ita transversis lignis confixum fuisse, ut vere *crucifixus* dici posset, quo ipsa ratio mortis Christi pulchre repraesentabatur: rem ita exponit Ackermann in *Archaeol. Biblica* §. 142: « *Integras autem oves et agnos assandos baculo acuto, a cauda usque ad caput et altero transverso ad anteriores pedes traiecto, quasi crucifigunt, et in cibitum illum*